

Ad analogiam

2. Analogiam verbi evangelici concipitur Verbum Deus ut aeternum
dilectionis mandatum, veritas scilicet divina existentialis et
interpersonalis, vita aeterna et Filius, persona, logos ut oratio
et logos ut ratio.

Dilectionis mandatum: iudicium de valore, excellentia, bonitate,
 necessitate dilectionis. Et triplex distinguitur: philosophicum,
 novum, aeternum.

philosophicum: diligite invicem, prout a sapientia humana
 intelligitur et procedit.

novum: diligite invicem, cum modalitate a Christo addita,
 nempe, "sicut ego dilexi vos" (Io 13, 34; 15, 12).

aeternum: quod novo mandato manifestatur. Modalitas enim
 novi mandati etiam est modalitas dilectionis divinae: "Sicut
 dilexit me Pater, et ego dilexi vos" (Io 15, 9). Propter quam
 dilectionem Pater Filio claritatem dedit ante constitutionem mundi
 (Io 17, 24; cf. 17, 5). Qualis divina dilectio in discipulis esse
 intenditur (Io 17, 26; cf. Rom 5, 5).

veritas: scilicet, veritas mandati, veritas valoris dilectionis.

veritas divina: quae in Deo cognoscitur, cui testimonium
 perhibuit Filius (Io 18, 37), quae ab iis ignoratur qui Christum
 crucifixum, non maximam dilectionem (Io 15, 13) habeant, sed vel
 stultitiam vel scandalum (1 Cor 1, 23).

existentialis: quia in divinis non solum cognoscitur veritas
 aeterni mandati sed etiam ipsum mandatum impletur; impletur autem
 illa dilectione qua Spiritus veritatis veritatem audit atque accipit.

interpersonalis: sicut enim auditur mandatum aeternum, etiam dicitur; non enim audit Spiritus veritatis vel duos loquentes vel duo verba ut a duobus procedat principiis, sed unico actu tum Patrem audit loquentem et Verbum quod Pater dicit.

vita aeterna: veritas enim existentialis est qua vivimus, qua sumus quod sumus, pro qua moreremur. Quare, veritas existentialis divina ad aeternam Dei vitam pertineret. Unde in evangelio nominatur primo Verbum apud Deum et deinde Verbum caro factum (Io 1, 1.14) sed in prima Ioannis epistola adnuntiatur vita aeterna quae erat apud Patrem et nobis apparuit (1 Io 1, 2); et cum idem apparuit qui caro factus est, idem est Verbum apud Deum ac vita aeterna apud Patrem. Unde etiam legitur "in ipso vita erat" (Io 1, 4) et "quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae" (1 Io 1, 1).

Filius:

7. Verbi munus et muneris continuitas.

Non aliud est munus incarnati Verbi et aliud verbi evangelici, sed potius unum idemque est munus quo Verbum caro factum per verbum fungitur. Verbum enim manifestat Deum; verbum manifestat Verbum; sed iis Verbum verbo manifestatur qui ita in verbo maneat (Io 8, 31) et verbum in ipsis maneat (Io 15, 7), ut etiam Christus in eis maneat et ipsi in Christo.

Cuius continuitatis varios aspectus colligere convenit, quorum prima est personae. Quod enim in principio erat Verbum, Deus apud Deum, idem caro factum est et habitavit in nobis (Io 1, 1.14). Neque ita habitavit ut non loqueretur sed, qui est in sinu Patris, ipse Deum non visum esse enarravit (Io 1, 18). Neque aliud enarravit quam evangelii verbum, quod prius foras sonat et dein intus manet, veritas existentialis atque interpersonalis.

Continuitas altera est auctoritatis, qui tamen in divino Filio non sistit sed usque ad Patrem redit qui Filio vitam dedit (Io 5, 26). Io 13, 20: Qui accipit si quem misero, me accipit; qui autem me accipit, accipit eum qui misit me. Io 20, 21: Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Io 15, 20: .. si sermonem ^{meum} servaverunt, et vestrum servabunt.

Continuitas tertia est doctrinae. Io 7, 16: Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Cf. 8, 26.28.38.40; 12, 44.49. Io 14, 24: Et sermonem quem audistis non est meus sed eius qui misit me Patris. Io 17, 8: .. verba quae didisti mihi dedi eis. Io 17, 14: Ego dedi eis sermonem tuum. Io 17, 17: sermo tuus veritas est. Cf. 8, 26.28.38.40; 12, 44.49.

Continuitas quarta est in mandato dilectionis. Hoc enim mandatum novum est, non quia nullus umquam vel philosophus vel religionis ¹
Christus inceptor dilectionem praeceperit, sed quia modum diligendi addidit: "sicut ego dilexi vos" (Io 13, 34; 15, 12). Qui modus non solum summam dilectionem dicit (Io 15, 13) sed etiam continuitatem cum divina dilectione importat. Nam ~~sicut~~ "sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos" (Io 15, 9). Qualis ergo est dilectio Patris ad Filium, qualis est dilectio Filii ad nos, talis esse debet mutua discipulorum dilectio. Unde et legitur: Et notum feci eis nomen tuum et notum faciam, ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis (Io 17, 26; cf. Rom 5, 5).

Continuitas quinta est in ~~manifestatione Patris per mandatum~~
~~dilectionis a Christo servata.~~

Quam enim maiorem dilectionem nemo habet, at animam suam ponat pro amicis suis (Io 15, 13), ~~talem exhibendi mandatum Christus a Patre accepit (Io 10, 17.18; cf. 14, 31)~~

Continuitas quinta est in impleto diligendi mandato. Sicut enim nobis datur mandatum, ita et Christo datum est mandatum animam ponendi ut iterum sumat eam (Io 10, 17-18; cf. 14, 31). Cuius mandati impletio summa erat dilectio: Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat pro amicis suis (Io 15, 13). Quia in summa dilectione, etsi finita, perspici potest infinita dilectio Patris erga suum Filium: Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos (Io 15, 9).

sexta

Continuitas ^{quinta} est manifestationis. Quamvis enim doceat Ioannes mundum ignorare Filium (Io 1, 10), Spiritum veritatis (Io 14, 17), Patrem (Io 17, 25; cf. 16, 3), dilectionem tamen habet causam cognitionis et fidei: "In hoc ~~vobis~~ cognoscent omnes quia discipuli mei estis..." (Io 13, 35); "Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum mihi dedit Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc" (Io 14, 31); "ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint; ut credat mundus quia tu me misisti" (Io 17, 21); "ut sint consummati in unum, et cognoscat mundus quia tu me misisti et dilexisti eos, sicut et me dilexisti" (Io 17, 23).

Quod si diligunt discipuli invicem, sicut eos dilexit Christus; si eos dilexit Christus, sicut Pater Christum dilexit; si Pater dilexit discipulos, sicut et dilexit Christum; sane ubique in his manifestatur caritas Patris: In hoc apparuit caritas Dei in nobis quam Filius suum unigenitum misit Deus in mundum ut vivamus per eum ... ipse prior dilexit nos et misit Filium suum in propitiationem pro peccatis nostris (1 Io 4, 9.10; cf. Io 3, 16; 2 Cor 5, 19).

Sed, caritate Dei manifestata, cognoscitur Deus: inquit,
caritas ex Deo est, quoniam Deus caritas est; Deus caritas est et;
qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo (1 Io 4,

Quare cum alibi exaltatio Christi in resuscitato Domino perspecta ~~si~~ sit (Phil 2, 6-11), apud Ioannem in ~~max~~ cruce attenditur. Io 3, 14.15: Et sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Io 8, ~~32~~ 28: Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum et a meipso facio nihil sed, sicut dicit me Pater, haec loquor. Io 12, 32: Et ego, si ~~exaltatus~~ exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.

Quae exaltatio salvans, revelans, trahans, etiam clarificatio est tum Filii tum Patris. Io 12, 23.24: Venit hora ut clarificetur Filius hominis. Amen, amen, dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit multum fructum affert. Io 12, 27.28: Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc. Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de de caelo: Et clarificavi et iterum clarificabo. Io 17, 1: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificat te.
Cf. Io 13, 31.32; ^{16, 14;} ^{22.} 17, 4.5.9.10.24.

Continuitas septima est in adepta cognitione existentiali.
Nam haec rei divinae manifestatio tunc in cognitionem Dei producenda pervenit quando in cognoscente advenit dilectio. Et omnis, qui diligit, ex Deo natus est et cognoscit Deum. Qui non diligit, non habet Deum, quoniam Deus caritas ~~est~~ ^a (1 Io 4, 7.8)

Continuitas septima est, ubi cognitio Dei attingitur, ubi intus fructificat verbum Domini.

Nam ita exaltatio Filii hominis revelat et trahit, ita nomen Patris clarificatur, manifestatur, notum ^a facit (Io 12, 28; 17, 6.26), ut dilectionem producat: Et notum feci eis nomen tuum et notum faciam ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.

Neque ante manifestatio ~~et~~ cognitionem producit quam dilectionem; neque prius verbum intus fructificat⁸ quam servetur: In hoc scimus quoniam cognovimus eum, si mandata eius observemus. Qui dicit se nosse eum et mandata eius non custodit, mendax est, et in hoc veritas non est. Qui autem servat verbum eius, vere in hoc caritas Dei perfecta est; et in hoc scimus quoniam in ipso sumus. Qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare (1 Io 2, 3-6). Et omnis, qui diligit, ex Deo natus est et cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus caritas est⁹ (1 Io 4, 7.8). Quisquis confessus fuerit quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo. Et nos cognovimus et credidimus caritati, quam habet Deus in nobis. Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo (1 Io 4, 15.16).

Continuitas octava ~~est~~ erit in caelis revelata Patris dilectio erga Filium: Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi (Io 17, 24). Carissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam vidibimus eum sicuti est (1 Io 3, 2).

~~7. De analogia existentiali.~~

~~Proportionis dicitur analogia quae ita quatuor comparat terminos ut, sicut A se habet ad B, ita C se habet ad D. Quod si in nostra materia tale aliquid quaeretur, forte quis dieceret Verbum divinum ad Verbum incarnatum se habere, sicut evangelii verbum in Ioanne dilecto discipulo (Io 13, 23; 19, 26; 20, 2; 21, 7.20) ad Ioannis verbum in evangelio (Io 21, 24).~~

8. Verbum incarnatum.

Qui motum quemdam cogitat descendenter et ascenderem, per modum unius conspicit tum dualismum qui dicitur iocannaeum tum octo quos distinximus continuitatis aspectus. Descenditur enim ad multitudinem tenebris dispersam et mendaciis et odiis et morte et iudicio; sed ascenditur in unitatem lucis, veritatis, dilectionis, vitae, resurrectionis. Descendit Verbum divinum in Verbum incarnatum ad evangelii verbum dicendum; sed ascenditur e verbo evangelii audito per verbum quod intus in multis mutuo diligentibus fructificat ad aeternam Verbi claritatem contemplandam (Io 17, 24; 1 Io 3, 2).

Quod si quaeris cur Unigenitus caro factus nominetur Verbum, tres praecipue videntur rationes: quia Verbum vitae est; quia vita, cuius est Verbum, dilectio est; et quia incarnatum Verbum a mundo iudicatum, est divinum de mundo iudicium.

a) Et primo expresse dictum est "Verbum vitae," cum de verbo evangelii intelligi non possit illud: "Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manibus nostris contrectavimus de verbo vitae" (1 Io 1, 1).

Est autem verbum vitae, tum quia ipse est vita (Io 11, 25; 14, 6), vita aeterna quae apparuit erat apud Patrem et apparuit nobis (1 Io 1, 2), vitam in semet ipso habens sicut et Pater (Io 5, 26), tum etiam quia vitam hominibus communicat, cuius vitae principium est vivens, diligens, verum, et unicum.

Ad homines enim venit "ut vitam habeant et abundantius habeant" (Io 10, 10), et ita potens venit ut sit "resurrectio et vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet; et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum" (Io 11, 25.26).

Vitam communicat, non tantum quia aquam dat salientem in vitam aeternam (Io 4, 14; cf. 7, 37 ss.), sed etiam quia ipse est panis vitae de caelo descendens (Io 6, 35.~~45~~ 48-51), ut vitam ordinis divini communicet: Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me (Io 6, 57). Quare, vivens est vitae principium, ut ipse sit vitis vera et discipuli palmites, ut ipse in iis et ii in ipso maneant (Io 6, 56; 15, 1-7).

Diligens etiam est vitae principium. Nam "qui non diligit, manet in morte" (1 Io 3, 14); et ideo bonus pastor a se ipso animam ponit pro ovibus suis (Io 10, 11.14-18).

Verbum est verae vitae principium: ipse enim veritas est (Io 14, 6), et Patris quem loquitur sermo veritas est (Io 17, 17; 14, 23), et in hoc natus est et ad hoc in mundum venit ut testimonium perhiberet veritati (Io 18, 37); quare, lux mundi est (Io 8, 12; cf. 3, 19; 9, 39; 12, 46-48).

Unicum est vitae principium: nam ostium ovium est (Io 10, 7), et via est ita ut nemo ad Patrem veniat nisi per eum (Io 14, 6). Quare "qui habet Filium habet vitam, et qui non habet Filium vitam non habet" (1 Io 5, 12). Quod si vitam dices cognitionem Patris (Io 17, 3), respondetur: "qui videt me, videt et Patrem" (Io 14, 9; cf. 14, 7; 12, 45). Vel si dices vitam esse dilectionem ~~XXXVII~~ Patris, respondetur: "qui autem diligit me, diligetur a Patre meo" (Io 14, 21; cf. 16, 27).

b) Qui non diligit, manet in morte (1 Io 3, 14). Et ideo Verbum vitae etiam Verbum dilectionis est. Qui enim prior dilexit Pater, diligi voluit; quia diligi voluit, secretum dilectionis suae aperuit; neque tantum evangelici verbo dilectionem suam manifestavit sed etiam ipso incarnato Verbo.

Incarnatum enim est ^Verbum ut videretur. Nam Deum nemo vidit umquam (Io 1, 18); 1 Io 4, 12.20; neque quisquam vidit Patrem, nisi is, qui est a Deo (Io 6, 46). Venit ut signa viderentur quae visus faciebat (Io 2, 23; 6, 14.26). Venit ut in visum Filium crederetur (Io 6, 40). Attamen, signa videre ita erat ambiguum ut reprehendi potuerit (Io 4, 48). Erant qui viderint et non crediderint (Io 6, 36). Neque videbatur nisi modico temporis intervallo (Io 16, 10.16.17.19; 14, 19; 20, 14.18). Et beati ^{qui} non viderunt et crediderunt (Io 20, 29). Neque simpliciter in ipsum Filium credendum erat: "qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me" (Io 12, 44). Neque tantummodo credendum erat, sed etiam diligendum.

Nisi ^{tamen} ^{enim} incarnatus esset Filius, esse non potuit bonus pastor qui a se ipso animam poneret pro ovibus suis (Io 10, 11.14-18). Nisi incarnatus esset, ipse suam et summam dilectionem exhibere non potuit qui dixit: Maiorem hac dilectionem nemo habet... (Io 15, 13). Et tamen incarnatus non suam principaliter manifestavit dilectionem, qui dixit: Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos (Io 15, 9); qui etiam dixit: dilexisti eos, sicut et me dilexisti (Io 17, 23); cuius apostolus addidit: In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum... quoniam ipse prior dilexit nos et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris (1 Io 4, 9.10). Neque sine fine dilectionem Patris manifestavit qui dixit: ^N Et notum feci eis nomen tuum et notum faciam, ut dilectio qua dilexisti me in ipsis sit (Io 17, 26). Dilectionis ergo mediator erat Filius incarnatus, et caro, quae ipse factus est, Patris expressit dilectionem; incarnatum ergo dilectionis Verbum erat.

Quibus forte et aliud accedit. Ubi enim videbatur illa gloria, quasi Unigeniti a Patre, quae erat Verbi carnis facti et habitantis in nobis (Io 1, 14)? Non inepte opinari videntur qui dicant illam gloriam (^{principie} ^{δόξα}) tunc esse visam quando Filius hominis exaltatus sit

(Io 3, 14.15; 8, 28; 12, 32) et ita clarificatus (~~δοξαζειν~~) ut simul
 clarificaretur et Pater (Io 7, 39; 8, 54.55; 12, 16.23.24.27.28; 13,
 31.32; 17, 1.4). In crucifijo ergo visa est gloria et Filii et Patris.
 Ubi vidit Paulus Dei virtutem et Dei sapientiam (1 Cor 1, 23.24), ibi
 Ioannes Dei vidit gloriam. Sed qualem vidit gloriam? Haud aliam
 vidit quam laudavit Filii dilectionem et priorem Patris dilectionem
 in crucifijo manifestatam, cum ipse etiam dixerit: Deus caritas est
 (1 Io 4, 8.16), et caritas ex Deo est (1 Io 4, 7), et in hoc apparuit
 caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in
 mundum... quoniam ipse prior dilexit nos (Io 1 Io 4, 9.10). Gloria
 enim Dei est Dei manifestatio; Deus autem est caritas; et ideo caritatis
 manifestatio est gloria Dei.

et mortuo

c) Sed in crucifijo aliud sane praeter Verbum vitae et dilectionis
 perspiciendum est, cum mors vitae opponatur, et dilectioni crucifixio.
 Quod aliud ~~verum~~ est veritatis Verbum et mundi iudicium. Quemadmodum
 vero Veritas mundum iudicet, ambiguum esse videtur. Qui enim dixit:
 Multa habeo de vobis loqui et iudicare (Io 8, 26), etiam dixit: ego
 non iudico quemquam (Io 8, 15), et tamen statim addidit: et si iudico
 ego, iudicium meum verum est (Io 8, 16). Sed forte dici potest (a)
 ita Filio datum esse omne iudicium ut (b) boni non iudicentur et (c)
 mali iam esse iudicati per ipsam suam incredulitatem.

Nam Pater non iudicat quemquam sed omne iudicium dedit Filio
 (Io 5, 22.27); qui credit, habet vitam aeternam et in iudicium non
 venit sed transit ^a in morte ~~a~~ vitam (Io 5, 24); procedunt qui bona
 fecerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt in resurrectionem
 iudicii (Io 5, 29).

Proinde, cum adstantibus pharisaeis ¹ caeci natu^{ur} adoraret, dixit
 Jesus: In ¹ iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant,
 et qui vident caeci fiant (Io 9, 39). Postquam de futura sua exaltatione

locutus est et de missione sua salvifica, addidit:

Non enim misit ~~de~~ Deus Filium suum in mundum ut iudicet ~~mundum~~
sed ut salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum non iudicatur;
qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine
unigeniti Fili*is* Dei. Hoc est autem iudicium, quia lux venit in
mundum et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem; erant enim
opera eorum mala. Omnis enim, qui male agit, odit lucem et non
venit ad lucem, ut non arguantur opera eius; qui autem facit veritatem,
venit ~~ad~~ ad lucem, ut manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta
(Io 3, 17-21).

Quod iudicium, ipso lucis odio peractum, ita non excludit aliud
iudicium in novissimo die per ipsum Domini sermonem peragendum (Io 12,
46-48), ut tamen insistatur nunc esse mundi iudicium, nunc eici
principem huius mundi, ~~et~~ eumque iam esse iudicatum. Nam postquam
vox de caelo dixit: Et clarificavi et iterum ~~clarificabo~~ clarificabo,
explicavit Iesus: Non propter me haec vox venit sed propter vos.
Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi elicetur foras.
Et ~~e~~go si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum (Io 12,
30-32). ~~Quod mundi eiusque principis iudicium manifestum redditurus~~
~~erat Paracitus: "...~~ arguet mundum de peccato, de iustitia, et de
iudicio. ~~De peccato quidem quia non crediderunt in me. De iustitia~~
~~vero quia ad Patrem vado et iam non videbitis me. De iudicio autem~~
~~quia princeps huius mundi iam iudicatus est"~~ (Io 16, 8-11).

~~Non~~ Quod instans de mundo iudicium ad plenos suos effectus
deducturus erat Paracitus qui "arguet mundum de peccato, de iustitia,
et de iudicio. De peccato quidem quia non crediderunt in me. De
iustitia vero quia ad Patrem vado et iam non videbitis me. De
iudicio autem quia princeps huius mundi iam iudicatus est" (Io 16, 8-11).

Quae quidem fecit Paraclitus tum aliter tum per evangelium Ioannis, qui clarissime docuit tum incredulos peccasse, tum iustum esse Filium qui eo redivit unde prius erat, tum principem huius mundi tenebris esse obvolutum, mendaciis esse deditum, odii et homicidii esse fautorem et patrem.

9. Verbum incarnatum et verbum evangelicum.

Quamvis in similibus nominibus connectio litteraria deesse videatur, connectio tamen realis facile conspicitur. Evangelii enim verbum intus fructificans ^rveritas est existentialis et ^{illud}interpersonalis. Sed unigenitus Filius ^rest quod doceat et communicet. Et ideo ipse etiam est veritas existentialis atque interpersonalis.

Qui enim communicat vitam, ipse vita est (Io 1, 4; 11, 25; 14, 6; 1 Io 1, 2). Qui veritatem docet (Io 17, 17; 14, 2⁴), ipse veritas est (Io 14, 6). Illuminandis ipse est lux (Io 1, 9; 3, 19; 8, 12; 12, 46), et mortuis ipse est resurrectio (Io 11, 25). Qui dilectionem interpersonalis praecipit, ita summa dilectione diligit ut caritatis (quae Deus est) ipse sit manifestatio atque mediator.

Sed qui venit ut mundum salvificet, etiam in iudicium ¹venit (Io 9, 39) non quasi sententia iudicis ferendum sed ipsa sua vita et morte manifestandum. Quia lux vera erat, odio habebatur (Io 1, 9; 3, 20; 7, 7). Veritas erat et mendaciis accusatus est (Io 10, 20) et condemnatus (Io 19, 12.15). Divinae dilectionis erat mediator, in cruce sed omnia ad se trahit ~~extremum~~ exaltatus. Vita erat, sed moriens vitam communicavit.

10. Verbum dilectionis

Quod vitae erat Verbum, etiam dilectionis esset oportebat: nam "qui non diligit, manet in morte" (1 Io 3, 14). Frustra ergo Pater nobis ~~et~~ Verbum vitae diceret, nisi idem Verbum etiam dilectionis esset. Neque tamen Patri difficile erat nobis Verbum dilectionis dicere, si quidem "Deus caritas est" (1 Io 4, 8.16) et ipse "prior dilexit nos" (1 Io 4, 10¹⁹). Neque quod ei facile erat, facere omisit: "In hoc apparuit caritas Dei in nobis quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum ut vivamus per eum" (1 Io 4, 9; Io 3, 16).

Sed quo sensu "apparuit caritas Dei in nobis"? ~~Maxima~~ An eo sensu quo apparuit vita aeterna (1 Io 1, 2)? An eo sensu quo "vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre" (Io 1, 14)? An eo sensu quo ipse Filius caro factus ideo Patris Verbum est quia divinam dilectionem expressit, manifestavit, communicavit?

Saltem quae minima et certa sunt colligere debemus. Nisi ergo caro factus, Filius bonus pastor esse non potuit qui animam pro ovibus poneret. Nisi caro factus, summam suam dilectionem exhibere non potuit qui dixit: Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro ~~et~~ amicis suis (Io 15, 13). Quibus tamen concessis, sequitur quod "apparuit caritas Dei in nobis." Nam eo modo nos dilexit Filius, sicut Pater ~~Filium~~ dilexit (Io 15, 9); et eo modo Pater nos dilexit, sicut et ~~Filium~~ suum dilexit (Io 17, 23); et eo modo discipulis praecipitur mutua dilectio, sicut et Christus eos dilexit (Io 15, 12; 13, 34), imo sicut et Pater Christum dilexit (Io 17, 26; vel etiam collatis 15, 9 et 15, 12). Quod si Patris dilectio erga Christum et erga nos manifestatur in dilectione Christi erga nos et in nostra mutua dilectione, multipliciter sane apparuit caritas Dei in nobis.

5. Quemadmodum Spiritus concipiatur Patris, Filii, Dei, veritatis, sanctus, Christi.

& veritatem

Cum antea dixerimus Spiritum diligendo et audire et accipere, cum nuperrime adiunxerimus divinum Verbum veritatem esse divinam, haec duo simul considerare convenit. Cuius ~~maximis~~ considerationis occasionem praebet quod in scripturis saepissime Spiritus dicitur vel Dei vel sanctus, interdum autem Spiritus Patris (Mt 10, 20), Spiritus Filii (Gal 4, 6), Spiritus veritatis (Io 14, 17; 15, 26; 16, 13), Spiritus Christi (Rom 8, 9). Haec enim, cum multa sint, quemadmodum unum dicant, quaerendum est.

Porro, Verbum ad Spiritum comparatur, sicut et verbum ad audiētēm, ubi tamen verbum sine sonis ~~est~~ est veritas, et ~~audire~~ audire sine auribus est diligere. Quam veritatem ad similitudinem novi mandati intelligendam esse arbitriati sumus, ut valorem, honestatem, excellētiā, splendorem, divinitatem affirmet dilectionis. ~~Quia ex veritate, ne manca sit,~~ profluit sane dilectio. Et ideo, cum Spiritus diligendo Verbum audiat, Spiritus est eius veritatis quae Verbum est.

Praeterea, ubi voluntas diligit quod intellectus verbo praecepit, ibi habetur sanctitas. Qua ergo ratione Spiritus veritatis est, eadem etiam sanctus est.

Praeterea, idem esse videtur vel ex Deo esse vel ex veritate ~~sanctus~~ esse. Nam "Qui ex Deo est, verba Dei audit" (Io 8, 47); sed pariter "omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam" (Io 18, 47). Sed Spiritus est veritatis, quia ex veritate est. Et ideo, qua ~~ratione~~ ratione Spiritus dicitur veritatis, eadem ratione dicitur Spiritus Dei.

Praeterea, Verbum est Filius, et veritas est Verbum. Sicut ergo Spiritus est veritatis, etiam Spiritus Filii est.

~~Praeterea, Verbum a veraci Patre dicitur; quae ergo veritatem est Verbum, eadem Patris est. Iterum, non aliud est loquentem audire, et aliud verbum loquentis audire; sicut vel idem est loquentem spernere et verbum eius non accipere.~~

Praeterea, sicut eodem actu et loquens auditur et verbum loquentis, ita eodem actu dilectio est et ex veritate et ex veraci. Sicut ergo Spiritus est Filii, quia Spiritus veritatis est; ita etiam Spiritus est Patris, quia Spiritus est ex veraci.

Praeterea, quia ex veritate procedit dilectio, veritas est existentialis; et quia veritas ad dilectionem ordinatur, veritas est interpersonalis. Sed quatenus veritas divina est existentialis, eatenus Spiritus dixit veritatis et sanctus et Dei. Quatenus vero eadem veritas est interpersonalis, eatenus dicitur Patris et Filii et Christi.

~~Christi denique dicitur Spiritus tum quia apud discipulos Christi manet et in eis est (Io 14,~~

Christi denique dicitur Spiritus, tum quia Christo testimonium perhibet (Io 15, 26) atque Christum clarificat (Io 16, 14), tum quia apud discipulos Christi manet et in eis est (Io 14, 17), tum quia eos omnia docet (Io 14, 26) et in omnem veritatem deducit (Io 16, 13 gr.; circa "deducere," cf. Mt 15, 14; 23, 16.24; Lc 6, 39; Act 1, 16; 8, 31; Rom 2, 19; Apoc 7, 17).

De Deo Trino II Index (p 302 ad p 241)

Caput VII. DE NEXU MYSTERIORUM

I. De Verbo evangelico.

1. Usus quidam in NT principalis. 8
2. Evangelii verbo resistit humana malitia. 10
3. Ulteriora de mundo et tenebris. 14
4. Evangelii verbum secundum veritatem dicitur et secundum sanctitatem auditur in finem vitae aeternae. 15
5. Idem secundum falsitatem negatur et secundum impietatem non accipitur in finem perditionis. 16
6. Idem a Deo Patre per Filium suum nobis dicitur. 16
7. Filius secundum scientiam suam verbum Patris nobis dicit. 17
8. Patris et Filii verbum in Spiritu sancto auditur. 18
9. Conclusio primae partis 20

~~II.~~

II. Secundum Ioannem verbum evangelicum, incarnatum, creativum. 21

1. De voce, λόγος. 22
2. De prologo, Io 1, 1-18. 24
3. Comparationes litterario-historicae 26
4. Verbi evangelici duplex status. 31
5. Verbum evangelicum intus fructificans est veritas existentialis atque interpersonalis. 34
6. Esse in, manere in. 36
7. "Et habitavit in nobis." 39
8. Verbum ut Patris iudicium. 42
9. Verbum vitae. 46
10. Verbum dilectionis. 47
11. Gloria Unigeniti. 49
12. Verbum creativum. 51
13. Alterae partis conclusio. 53

De Deo Trino I⁴ Index (p. 302 ad p. 241)

III. De Verbo aeterno.

1. Verbum insitum et prolatum. 54
2. Verbum proleptice dictum. 56
3. De processione Spiritus sancti. 57
4. De locutione divina. 63
5. De Verbo aeterno. 66
6. Nexus analogia. 68

CAPUT SEPTIMUM
DE NEXU MYSTERIORUM

Quam mysteriorum intelligentiam affirmavit c. Vaticanum I, non unicum eiusdem sed duplarem docuit fontem, alium quidem ex eorum quae naturaliter cognoscuntur analogia, alium autem ex nexu mysteriorum inter se et cum fine hominis ultimo. Quos tamen non ita duos esse fontes censeo ut alia sit intelligentia ex alio fonte expetenda, et ideo nihil aliud intendit hoc praesens caput quam ut ea compleantur, extendantur, perficiantur quae iam sunt tradita.

Quaecumque vero iam dicta sunt de divinis processionibus, relationibus, personis, de personarum ratione metaphysica et psychologica, de earum proprietatibus, actibus notionalibus, circuminceptione, perfectione, missionibus, haec omnia uti iam pridem perspicit prudens lector in duo reducuntur capita. Quorum aliud, ^{subsistens;} etiam philosophice notum, est ipsum esse ^A aliud autem est duplex emanatio intelligibilis, verbi nempe a dicente, et amoris ab utroque. ~~Si enim modi emanationes sub alio et alio consideratae aspectu totam fere faciunt systematicam de SS. Trinitate theologiam~~
~~Eiusmodi enim emanationes, si perfectione infinitae admittuntur et sub alio et alio considerantur aspectu, totam fere faciunt systematicam de SS. Trinitate theologiam.~~

At quo magis purae atque perfectae concipiuntur emanationes intelligibles, ea lege ad digna de Deo dicenda propius accedimus ut simul remotiora dicamus non solum ab omni experientia humana sed etiam ab ipso biblico loquendi modo. Praestat ergo nunc,

ubi pleniorē quādā magis que concretam quaerimus doctrinā, ut
severiora relinq~~u~~amus et ad magis ~~nu~~ nota atque consueta redeamus.

Exsistit ergo emanatio intelligibilis ex perspecta rei essentia
ad claram atque distinctam rei expositionem. Qui enim intelligit,
quia intelligit, bene explicat. At quotus quisque intelligit!
Sunt qui non intelligent, qui male intelligent, qui parum intelligent,
qui imperfecte intelligent. Neque tamen sile~~nt~~. Concipiunt ergo
et dicunt parum cohaerentia, distorta, confusa, obscura, ~~incompleta~~
inadæquata, incompleta.

emanatio
Exsistit etiam ~~intelligibilis~~ intelligibilis ex sufficienti~~e~~ evidentiā
perspecta ad iudicium verum atque certum. Qui enim evidentiā
sufficere perspicit, quia hoc perspicit, et rationaliter et vere
et certo iudicat. Neque tamen ideo omne iudicium eiusmodi est.
Praeter certa, sunt probabilita; ~~ni~~ praeter vera, sunt falsa;
praeter rationalia, sunt quae magis proveniant ex affectibus et
passionibus animae, ex ira et studio, ex hac illave ~~de~~ deformatione
vel psychologica vel professionali vel nationali vel culturali
vel sociali. Quas ob causas communius fit ut, quot sint homines,
tot etiam sententiae.

Exsistit sane emanatio intelligibilis ex vero de valoribus
iudicio procedit et in rectam voluntatis electionem terminatur.
Qui quod faciendum est agnoscit, quia agnoscit, ideo facit.
Ita sane vult rationalitas humana, honestas humana, ipsa vel notio
moralitatis: immorale enim est facienda non facere. Et tamen
verius forte scrips~~i~~ non "ideo facit" sed "ideo facere debet."
Inter homines enim longe facilius incipit quam ad finem pertingat
haec tertia emanatio intelligibilis. Neque satis. Eo enim
procedit malitia ~~ut nimis superet incomprehensionis, erroris,~~
~~fragilitatis~~ ut in fragilitatem, errorem, ~~et~~ incomprehensionem
reduci non possit, ut hypocritis relinquat excusationes, ut ~~inveniat~~

De nexu mysteriorum.

Ubi vox, verbum, in NT et praecipue apud Ioannem occurrit, tot sunt loca ut ibi septem invenimus mysteria vel directe tractata vel saltem connexa invenerimus septem mysteria: (1) mysterium humanae libertatis, autonomiae, responsabilitatis, (2) mysterium iniuitatis seu odii gratuiti, (3) mysterium praedicantis Ecclesiae quam audiunt alii et alii non audiunt, (4) mysterium missionis Filii, (5) mysterium missionis Spiritus sancti, (6) mysterium generationis aeternae Filii, (7) mysterium aeternae processonis Spiritus sancti.

Et mysterium humanae libertatis, autonomiae, responsabilitatis ipse fere est dualismus S. Ioannis qui lucem tenebris, veritatem mendacio, dilectionem odio, opera bona peccatis, vitam mortis opponit, ut lucem, veritatem, dilectionem, opera bona, et vitam inter se connexa reputet et in Deum reducat, ut tenebras, mendacia, odia, peccata, et mortem pariter ~~rap~~ iudicet ex alio aliud profluere eaque in diabolum huius mundi principem reducat. Nec quemquam arbitror qui "cogitet corde" ignorare haec opposita tum intus in singulis hominibus tum inter homines communi vita coniunctos et existere et iungiter inter se pugnare. Existentialia ergo quae dicuntur cognovit Ioannes eaque suo sane modo sed cum summa quadam sollertia mentisque acumine expressit. Quae apud Matthaeum ~~merurum~~ leguntur (Mt 6, 21.22; 12, 33.34.35), ita apud Ioannem recurrent (Io 11, 10; 12, 35.36) ut non solum distinguantur cor et cordis locutio, oculus lucerna et corpus vel lucidum vel tenebrosum, sed longiores series quarum elementa nominibus quadam ^m tenus abstractis designantur.

Agnovit ulterius Ioannes iniuitatis mysterium, odium gratuitum et sine excusatione, quod contra eos ~~im~~ urgebat qui Dominum interfecerunt

Attamen, ex identitate Verbi (Io 1, 1) et verae lucis (Io 1, 9), argui sic potest: quod omnem hominem illuminat, idem omnem hominem creat (Io 1, 9.10); quod universaliter in omni homine invenitur, ad naturam hominis pertinet, et ex creatione habetur; idem ergo est omnem hominem illuminare et omnem hominem creare. Sed illuminatio quae in omni homine ex creatione habetur est ipsum rationis lumen. Cuius luminis principium est vera lux et ideo Verbum. Verbum ergo est supremum principium unde omne lumen rationis, et ideo Verbum ~~verbum~~
^{de ratione} insitum est.

Cui argumento responderemus videtur: (1) absolute valet; (2) mentem Ioannis exprimere non videtur. Nam apud Ioannem lux dupliciter illuminat, aliter credentes, aliter incredulos. Illuminat credentes: "Ego lux in mundum veni ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat" (Io 12, 46). Illuminat incredulos: "Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem; erant enim eorum mala opera" (Io 3, 19). Illuminantur ergo credentes quia in tenebris non manent. Illuminantur autem increduli quia iudicantur seu qua ~~mum~~ iniqui manifestantur. Et ipsa illuminatio non naturalis est sed supernaturalis et voluntarie accipienda.

Quod etiam ex sequenti confirmatur versiculo: "Omnis enim qui male agit, odit lucem et non venit ad lucem ut non arguantur opera eius" (Io 3, 20). Quae utique "lux" absolute intelligi posset de naturali rationis lumine: peccatores enim contra lumen rationis agunt. Sed in contextu illa "lux" est Christus. Et valde complicata est explicatio, si dicitur peccatores, naturali rationis lumine. Sed in contextu "lux" est Christus; et similiter lux vera (Io 1, 9) est Verbum; neque affertur ^olucus ubi Ioannes non concrete loquatur sed ordinem naturalem et supernaturalem distinguat et quodammodo ^asepius seiungit.

2. Verbum proleptice dictum.

Quod si "verbum" apud Ioannem dicit non rationem sed orationem, sequi videtur Deum apud Deum nominari Verbum, non propter ullum munus vel officium aeternum, sed proleptice ex temporali munere vel creandi vel etiam illuminandi et revelandi.

Cui sententiae favet quod Ioannes non videtur multum cogitasse de processionibus divinis et aeternis. Nam qui caeteris clarius de Filio et Unigenito est locutus, non memorat ullum die*m* aeternum ubi dictum est: "Ego hodie genui te" (^p 2, 7). Neque Verbum dicit ex ore Altissimi pr*o*lis*sse* (Eccl*s* 24, 5) vel ab aeterno ordinatum et conceptum (Prov 8, 22-24). Etsi Verbum cum*v*era luce identificaverit, prius tamen de luce hominum locutus est (Io 1, 4.9). Qui gloriam ^{Fili}i Unigeniti nov*em*it (Io 1, 14), et claritatem ante constitutionem mundi (Io 17, 5.24), et Deum esse lucem (1 Io 1, 5), praetermittit tamen et "splendorem gloriae" (Heb 1, 3) et "emanationem claritatis" et "lucis candorem" (Sap 7, 25.26). Qui denique Spiritum veritatis audientem et accipientem dicit, verba potius in tempore futuro quam in aeterno praesente ponit (Io 16, 13-15).

Quibus tamen concessis, non ideo concludendum esse videtur Ioannem exclus*is*se aeternum Verbi munus. Non enim Verbum insinuat tunc rationem Verbi accepisse quando caro factum est, sed potius supponit illud iam in principio Verbum fuisse quod in tempore non Verbum sed caro est*f*actum. Similiter supponit illud iam in principio fuisse Verbum per quod consequenter omnia sunt facta. Etsi enim sicut Moyses "in principio" scripsit, tamen non statim, sicut Moyses, rerum creationem narravit sed creationem ad v. 3 remisit ut prius diceret Verbum in principio fuisse, Verbum apud Deum fuisse, Verbum Deum fuisse; quibus dictis, non ad creationem narrandam

properavit, ut denique ~~et~~ tandem ad principaliter intentum perveniret, sed iam dicta reassumpsit atque repetivit, ut inter vv. 1 et 3 intercederet: Hoc erat in principio apud Deum.

Quae cum ita sint, etsi tacuerit Ioannes aeternum Verbi vel munus vel officium, quaestionem tamen de tali munere posuisse videtur.

Dixerit tamen quispiam, ubi tacuerit Ioannes, etiam tacere debent tum exegeta tum doctrinarum historicus. Quod omnino concedendum esse opinor. Quae enim de Verbo aeterno ponitur quaestio, non de scriptis est neque de auctorum sententiis sed de ipsis rebus. Ubi autem alia est quaestio, ibi etiam alia est methodus. Qui enim de rebus quaerit, ad verum attendit; ~~et~~ verum autem, cum rationem inconditionati habeat, conditionibus non alligatur; quod enim uno vel loco vel tempore ~~dicitur~~ dicitur vere, alio vel loco vel tempore non contradicitur vere; quod ad mentem huius vel illius culturae dicitur vere, etiam ita transponi potest ut ad aliam mentalitatem vel culturam dicatur vere. Quam ob causam, quod de rebus vere dixit Ioannes, non soli suo tempori dictum est; neque tantum aliis temporibus dici potest, sed etiam praemissas suppeditare potest unde alia vera concluduntur.

3. De processione Spiritus sancti.

Qui quaerit cur Paraclitus dictus sit Spiritus veritatis (Io ~~14~~ 14, 17; 15, 26; 16, 13), ex ipso textu rationem addiscit; qui enim Spiritus vos docebit omnia (Io 14, 26), qui testimonium perhibebit de Christo (Io 15, 26), qui docebit vos omnem veritatem (Io 16, 13), ideo veritatis Spiritus est quia veritatem docet et in omnem veritatem ducit (Io 16, 13 gr.).

Attamen, idem Spiritus non primus fons et origo est huius quam docet veritatem: "... non enim loquetur a semet ipso, sed quaecumque audiet loquetur... de meo accipiet" (Io 16, 13-15). Auditam ergo et acceptam veritatem docet Spiritus veritatis.

Praeterea, hic veritatis Spiritus est Deus. Quare, si in persona divina vere et realiter existit quaedam dependentia, quaedam vel auditio vel acceptio, ipsa haec dependentia necessario est aeterna. Etsi ergo Ioannes thematice de ~~futuro~~ futura discipulorum instructione cogitet, etsi omnia fere verba in tempore futuro ponat, illud tamen dicit quod, si verum est, ad aeternam Spiritus processionem necessario perimet ~~pertinet~~ reducitur.

Praeterea, in persona divina non est aliud et aliud, et ideo persona divina nihil accipere potest nisi totum quod est (cf. DB 691).
esse accepturum
Etsi ergo Ioannes docuerit Spiritum eam veritatem quam docturus fuerit, tamen si ulla est vera et realis acceptio, necessario tota divina essentia seu substantia recipitur.

Quibus praemissis et praesuppositis, remanet ut quaeramus qualis in Spiritu veritatis esse possit vel auditio vel acceptio.
adiungimus
Et ideo brevem quemdam catalogum ad usum ioannaeum illustrandum.

Audire: Christus veritatem a Patre audivit (Io . . . cf. 8, 26; 15, 15; 3, 32); ad Christum venit omnis qui audivit a Patre et didicit (Io 6, 45); qui ex Deo est, verba Dei audit (Io 8, 47); qui ex veritate est, vocem Christi audit (Io 18, 37); oves vocem pastoris audiunt, sed alienum non audiunt (Io 10, 3-5.8.27); qui verbum Christi audit et Patri credit, habet vitam aeternam (Io 5, 24).

E contra, sunt quibus dicatur quod non audiant (Io 9, 27 gr.); vel qui dicant: "Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?" "Daemonium habet et insanit." (Io 6, 60), vel "Insanit, Quid eum auditis?" (Io 10, 20); sunt qui audiant et non custodiant (Io 12, 47), qui non audiverint (Io 8, 47), qui audire non potuerint (Io 8, 43). alibi legitur

Quibus in locis non de auditione auriculari agitur, uti "surdos fecit audire" (Mc 7, 27), neque de exauditione (Io 9, 31; 11, 41), sed de spirituali receptione vel receptivitate quae divinitus provenit.

Accipere ($\lambda\alpha\mu\beta\alpha\epsilon\tau\epsilon$): Homo non potest accipere quidquam nisi ei datum fuerit de caelo (Io 3, 27); mundus non potest accipere Spiritum veritatis (Io 14, 17); sunt qui testimonium Christi non accipient (Io 3, 11.32), qui ipsum Christum non accipient et tamen gloriam ab invicem accipient (Io 5, 43.44; cf. 12, 43), qui Christum spernant et verba eius non accipient (Io 12, 48).

testimonium accipit non ab homine sed a Patre (Io 5, 34.37); Christus mandatum a Patre acepit (Io 10, 18); qui testimonium Christi accipit, signat quia Deus verax est (Io 3, 33); quotquot aceperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri (Io 1, 13 gr.); de plenitudine gratiae et veritatis aceperunt (Io 1, 17); discipuli aceperunt et cognoverunt (Io 17, 8); aceperunt Spiritum sanctum (Io 20, 22); discipulus acepit Matrem Christi in sua (Io 19, 27); "qui accipit si quem misero, me accipit; qui autem me accipit, accipit eum qui misit me" (Io 13, 20).

Quare, in acceptione distingui possunt varii aspectus: voluntarius, quia opponuntur qui accipiunt et qui non accipiunt; realis, nam accipitur verbum, mandatum, testimonium, gloria; personalis, tum quia accipitur vel non accipitur persona, tum quia verba alicuius non accipere est eum spernere, tum quia ad idem redit vel ipsum Christum vel testimonium Christi non accipere, tum quia acceptio de persona in personam transit ut missum accipere importet accipere mittentem.

~~Quae cum ita sint, manifesta videtur esse analogia inter fideles qui veritatem a Patre per Filium audiunt atque accipiunt et ipsum veritatis Spiritum qui veritatem a Patre et Filio audit et accipit. Datur enim similitudo~~

~~Quae cum ita sint, manifesta esse videtur ~~non~~ analogia inter Spiritum veritatis et fideles. Nam existit similitudo: sicut enim fideles a Patre per Filium veritatem audiunt atque accipiunt, ita etiam Spiritus veritatis a Patre et Filio veritatem audit et accipit. Existit ~~non~~ dissimilitudo: Spiritus enim~~

ut a veritate in personam ita transit ut mittens accipiat ubi accipitur sive qui ab ipso mittente sive qui a misso est missus.

Quibus perspectis, de Spiritu qui audit et accipit secundum Io 16, 13-15, sequentia fere dicenda esse videntur.

Primo, adest aspectus interpersonalis. Quod expresse habetur circa accipere: repetitur enim "de meo accipiet" (Io 16, 14.15); sed etiam implicite adest circa audire, si quidem haud convenit Spiritum audire ubi nemo loquatur.

Deinde, hic aspectus interpersonalis respicit Patrem et Filium; quamvis enim illud "meum" ad Filium refertur, tamen Patris et Filii omnia sunt communia uti ibidem dicitur (Io 16, 15; 17, 10).

Tertio, ex usu ⁱ Ioannaeo constat "audire" et "accipere" minime restringi ad "auribus audire" vel "manu accipere" sed, etiam in hominibus, frequenter significare operationes spirituales.

~~Quarto, ubi auditum et accipitur veritas~~

~~Quarto, qui veritatem audit et accipit, ille est qui "veritatem facit" (Io 3, 21; 1 Io 1, 6), scilicet, qui secundum veritatem vult et agit. Eo ergo sensu Spiritus veritatem audit et accipit, non quasi discipulus esset qui veritatem speculativam a Patre et Filio addisceret, sed quia ad actum deducit quod per veritatem auditam et acceptam significatur.~~

Quarto, qui veritatem audit et accipit, ille "veritatem facit" (Io 3, 21; 1 Io 1, 6), h. e., secundum veritatem vult et agit.

Iterum, qui veritatem audit et accipit, ille nominari potest discipulus, non tamen sensu graeco ut discipulus dicatur qui ab alio veritatem speculativam didicerit, sed sensu ioannaeo uti apud Io 8, 31; 13, 35; 15, 8.

Quinto, iam conclusimus illam auditionem et acceptiōnem, de quibus Io 16, 13-15, ad aeternam Spiritus processionem esse reducendam, ut Spiritus sit id ipsum quod est veritatem audire et

accipere. Cui conclusioni addenda est alia nuperrime adducta, ut Spiritus dicatur veritatem audire et accipere, non quasi veritatem speculativam addisceret, sed quia illud in actum & ducit quod per veritatem significatur.

Sexto, Spiritus non solum in actum ducit quod per veritatem significatur sed etiam hoc facit propter ipsam veritatem propositam. Nam in veritate audienda, accipienda, facienda adest aspectus quidam moralis; non enim cæco quodam impulsu vel nescio quo spontaneo affectu, sed conscientie, honeste, sancte auditur veritas quia audienda est, accipitur quia accipienda est, observatur quia observanda est. Quae sane conclusio omnino cum illo cohaeret quod Spiritus veritatis communius nominatur Spiritus sanctus.

Septimo, si quaeris quamnam veritatem audiat et accipiat Spiritus, dupliciter respondendum est. De ^{ea} veritate cogitavit Ioannes quam Spiritus discipulos erat docturus. Ubi autem de aeterna processione Spiritus cogitatur, non mentem Ioannis investigamus sed rem de qua locutus est Ioannes. Qua de re dupliciter quis concludere potest: uno modo, ut ex antecedentibus ad consequentia procedat; alio modo, ut de consequentibus ad antecedens ascendat.

Iam vero ad antecedens ascendere vult qui quaerit quamnam veritatem ab aeterno audiat Spiritus veritatis. Quaerenda enim est veritas (1) quae ~~nihil~~ interpersonales relationes importet secundum illud, "de meo accipiet", (2) quam quis facit, et quidem non temporaliter et contingenter sed eo modo qui aeternæ processionis Spiritus Dei conveniat, (3) quae ad ipsam divinam perfectionem pertineat, eamque trinitariam, (4) quae cum iis cohaeret quae de auditione et acceptione docuerit Ioannes, et (5) quae cum iis cohaeret quae de Spiritu Dei credenda esse aliunde cognoscimus.

Porro, de divina perfectione docuit Ioannes "quoniam Deus caritas est" (1 Io 4, 8.16). Quod si haec intelligitur, uti saepe in NT, interpersonalis dilectio, consequi videmur quam quaesivimus veritatem.

Ubi enim habetur interpersonalis dilectio, ibi habentur relationes interpersonales, uti voluit prima ratio.

Ubi veritas facienda dilectionem respicit, hanc veritatem audit et accipit Spiritus veritatis quatenus ipse est dilectio aeterna procedens; et ita fit satis rationi alterae.

Praeterea, ad divinam perfectionem testante Ioanne pertinet "quoniam Deus caritas est"; et haec perfectio est trinitaria, ubi caritas intelligitur interpersonalis. Quod concordat cum tertia ratione.

Neque melior cogitari potest spiritualis vel auditio vel acceptio quam quae in dilectione interpersonali consistit, uti voluit ratio quarta.

Denique, dilectio convenire videtur iis quae de Spiritu docentur, uti voluit quinta ratio. Ideo enim solet Spiritus omnia docere et suggerere, testimonium de Christo perhibere, in omnem deducere veritatem (Io 14, 26; 15, 26; 16, 13 gr.), non quia ipse nova et aliunde ignota revelet, sed quia animas disponit atque movet ad ipsa revelata attendenda, credenda, meditanda, penetranda, servanda. Praeterea, diffunditur caritas Dei in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis (Rom 5, 5; cf. Io 17, 26). Quo Spiritu remittuntur peccata (Io 20, 21.22), quo renascimur in vitam aeternam (Io 3, 5; 1 Cor 6, 11; Tit 3, 5), quem habemus pignus futurae hereditatis (2 Cor 1, 22; 5, 5; Rom 8, 23; Eph 1, 13), qui apud vos manebit et in vobis erit (Io 14, 17) qui nos sua templa facit (1 Cor 3, 16), nos possidet (1 Cor 6, 19), nos agit (Rom 8, 15), nobiscum Patrem invocat (Rom 8, 15; Gal 4, 6),

qui adiuvat infirmitatem nostram et pro nobis postulat (Rom 8, 26.27),
 qui commune est principium corporis Christi (Act 4, 32; 1 Cor 12, 12;
 2 Cor 13, 13; Eph 4, 1 ss.), quo in Christo sumus et Deo placere
 possumus (Rom 8, 8-10), talis sane Spiritus convenienter omnino
 concipitur ut dilectio divina, aeterna, interpersonalis, divinam
 illam faciens veritatem "quoniam Deus caritas est."

4. De locutione divina.

Quia iam conclusimus Spiritum veritatis aeternaliter de Patre
 et Filio veritatem audire atque accipere, necessario etiam agnoscimus
 quamdam quasi locutionem eamque aeternam de Patre Filioque procedere.

Qua de locutione constat in primis ipsum Spiritum non esse
 qui loquatur. ~~nam missio in precessione fundetur, de processione~~
~~concluditur quod de missione revelatur. Sed circa missionem scimus~~
~~Spiritum non aeternam semet ipso sed ea loqui quemcumque audit~~
~~[Ia.16, 13]~~ Sicut enim missus non a semet ipso loquitur sed
 audit, ita quis ab aeterno audit et accipit, alium loquentem et
 tradentem praesupponit.

Praeterea, concludendum esse videtur non Filium sed Patrem
 ab aeterno loqui. Saepius enim Filius caro factus se negavit a
 semet ipso loqui (Io 7, 17; 12, 49; 14, 10; cf. 8, 26.28.38);
 neque constat hoc propter solam humanitatem esse dictum, cum in
 divinis Filius nominetur Verbum, cuius est non loqui sed dici.

~~Accedit quod Spiritus non a duobus principiis sed a uno principio~~
~~procedit; cui concessione solemniter magis congruit quod non duos~~
~~spiritus sequentes sed unum loquentem.~~

Accedit quod Spiritus a Patre procedit (Io 15, 26) et, quamvis a Filio accipiat (Io 16, 14.15), non ideo tamen a duobus procedit principiis (DB 460, 691); sequitur eum non duos simul loquentes audire sed Patrem quidem loquentem et Verbum quod Pater dicit.

Qualis vero sit haec divina et aeterna locutio, e duobus maxime illustrari videtur, nempe, ex modo quo Pater loquitur, et ex motivo propter quod loquitur.

Et quantum ad modum attinet, dubitari non potest Patrem Spiritus veraciter loqui. Quam enim audit et accipit veritatem, eam loquitur Pater; et qui veritatem loquitur, veraciter sane loquitur.
end
Sed ut ipsa haec veracitas illustretur, attendum est tum ad simile tum ad dissimile.

Primo ad simile attenditur. Sicut enim Pater aeternaliter verax veritatem dicit quam facit Spiritus veritatis, ita etiam in tempore Pater verax (Io 3, 33; 8, 26) et verus (Io 7, 28) in mundum misit Verbum veritatis plenum (Io 1, 14), imo, veritatem ipsam (Io 14, 6), ut veritas sit facta (Io 1, 17). Quare, non alia est veracitas divinae et aeternae locutionis, ac ea in qua fundatur tota christiana religio.

Deinde ad dissimile attenditur. Nam diabolus, in quo veritas non est, mendax et mendacis pater mendacium e propriis loquitur (Io 8, 44). Quantum ergo distant Deus Pater et diabolus, tantum opponuntur veracitas illius et huius mendacitas.

Porro, ut ad motivum locutionis divinae transeamus, in primis memorandum est "quoniam Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae" (1 Io 1, 5). Qualis ergo est illa lux? Et sane corporalis non est, cum Deus sit spiritus quem, non in loco geographicō, sed in spiritu et veritate adorari oportet (Io 4, 24). Neque genericum tantummodo symbolum "ascensionale" quod multa et diversa significare possit, ^{cum} nam apud Ioannem valde determinatus est contextus. Nam

apud eum consociantur lux, veritas, dilectio, vita, resurrectio, ut lux opponatur tenebris, veritas mendacio, dilectio odio, vita morti, resurrectio iudicio. Tale ergo symbolum est "lux," quale apud nos est "evidentia," non quidem ut sensus sit idem, sed ut sensus sit similis. Quod enim symbolice per "evidentiam" dicimus cum veracitate et veritate consociatur; quod vero Ioannes per "lucem" significavit non ~~sum~~ cum sola probitatem intellectuali sed etiam cum dilectione et vita consociabatur. Cuius differentiae radix omnibus nota est: ubi enim distinguuntur et seorsim ~~ex~~ excentur inquisitiones ^{consilia} speculativa et ~~inquisitiones~~ ^{speculativa} practicae, ibi propter evidentiam attingi potest veritas quin ad bonitatem attendatur; sed ubi deest illa distinctio atque separatio vitae speculativa et practicae, ibi per lucem simul ad veritatem et bonitatem perveniendum est.

Quae cum ita sint, concludendum esse videtur Deum Patrem, quia ipse sit ipsa lux, eam dicit veritatem quam facit veritatis Spiritus. Sicut ergo antea diximus Spiritum non caeco quodam impulsu sed propter propositam veritatem moraliter, honeste, sancte veritatem facere, ita etiam nunc dicere debemus Deum Patrem, non caeca quadam necessitate coactum, non impulsu quodam vel mechanico vel vitali vel sentimental, sed propter ipsam infinitam lucem seu propter perspectam evidentiam divinam aeternaliter esse locutum.

Sed quid perspexit Pater aeternus? Sane evidentiam perspexit eius veritatis quam ^{ipse} dicit quamque facit Spiritus veritatis. Sed haec veritas erat, uti supra conclusimus, "quoniam Deus caritas est" ^{ergo} (1 Io 4, 8.16). Quod ~~ex~~ summa luce perspexit Deus Pater, quod propter summam lucem dixit, quod dicendo aeternaliter efficit, non erat hoc: Deum non esse tantummodo "ipsum amare" seu "ipsam ^{Sanctam} bonitatem" sed illam dilectionem interpersonalem quam in NT saepius significat ^{videtur}.

5. De Verbo aeterno.

Qui vera dicit, non solum sibi non contradicit, sed etiam talia dicit quae considerata, meditata, penetrata in unitatem quamdam quasi systematicam sponte sua coalescant. Quam ob causam, non omnino mirandum est quod ita per conclusiones non exegeticas sed theologicas easque remotiores processimus ut nihilominus ad illud nunc perveniamus quod expresse dixit Ioannes: In principio erat Verbum.

Nam quod ab alio dicitur et ab alio auditur, sane verbum est. Sed alius est Pater et alias Spiritus; quamque veritatem dicit Pater, eamdem audit Spiritus veritatis; in Deo ergo Verbum est. Sicut ergo verbum humanum ab alio dicitur et alio auditur, sicut evangelii verbum ab apostolis eorumque successoribus praedicatur et a fidelibus auditur, sicut incarnatum Verbum a Deo Patre nobis dicitur et a nobis in Spiritu sancto auditur, ita etiam aeternum est Verbum quod verax dicit Pater et sanctus audit Spiritus. Quibus omnibus illud est commune quod interpersonale est verbum, ab alio quippe dictum et ab alio auditum. Sed a caeteris discernitur Verbum aeternum et incarnatum quod non solum interpersonale sed etiam persona ~~est~~ est; "... quia inter creatorem et creaturam non potest tanta similitudo notari, quinque inter eos maior sit dissimilitudo ~~est~~ notanda" (DB 432).

Porro, aliud verbum et veraciter dicitur et sancte auditur, sed aliud mendaciter dicitur et inique auditur. Illud lucis, hoc tenebrarum est. Quae enim tenebrarum est potestas, in mendacio invenitur, in falso testimonio, in odio, in homicidio. Quae autem lucis est victoria, per veracitatem et veritatem et dilectionem et bona opera peragitur. Quae duo radicibus opposita, tum seorsim inveniuntur prorsusque ab invicem separata in Deo nempe et diabolo, tum etiam his in terris vel juxtaponuntur malum et bonum at inter se pugnant vel permiscuntur ut confundantur. Et cum

inveniuntur, tum confusa permiscentur, tum denique ita iuxta ponuntur ut inter se pugnant.

Nam in Deo invenitur lux sine tenebris (1 Io 1, 5), sed in diabolo non est veritas unde ipse mendax e propriis loquatur mendacium (Io 8, 44). Mundus autem, cum totus in maligno iaceat (1 Io 5, 19), principem habet diabolum (Io 12, 31; 14, 30; 16, 11). Quo de mundo Patris iudicium est Verbum caro factum atque transfixum (Io 19, 37). Sed et idem Verbum audientibus, credentibus, accipientibus simul est Patris Verbum vitae et dilectionis. Unde duplex est Verbi incarnati munus, cum alios revelet iniquos (Io 3, 19) et alios e tenebris liberet (Io 12, 46) in vitam atque caritatem; quo duplice munere ~~est~~ vincitur mundus (Io 16, 33); transeunt enim tenebrae et verum lumen iam lucet (1 Io 2, 8).

Quod si ex Verbo incarnato ad Verbum apud Deum ascenditur, neque alia invenitur persona, neque aliud est munus, et aliter tamen idem exercetur munus. Non alia est persona, cum in prologo Ioannis idem est Verbum apud Deum Deus (Io 1, 1.2) quod caro factum in nobis habitavit (Io 1, 14). Neque aliud est munus: quod enim nobis dicitur a veraci Patri Verbum vitae et dilectionis, idem ab eodem veraci Patre aeternaliter dicitur Verbum vitae trinitariae et illius caritatis ~~quaesumus~~ interpersonalis quae est Deus trinus. Sed aliter idem exercetur munus: quod enim caro factum et transfixum de mundo est iudicium, quod falso testimonio condemnatum docet veritatem, quod mortuum vitam revelat, quod odio habitum exprimit dilectionem, illud sane Verbum ad duritiam cordis nostri (Mt 19, 8) dictum est, qui "si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos ~~est~~ seducimus, et veritas in nobis non est" (1 Io 1, 8); ubi autem ab aeterno dicitur Verbum, nullae sunt tenebrae (1 Io 1, 5); ibi veraci Patri non opponitur mendax; ibi veritati Filii (Io 14, 6) non opponitur mendacium; ibi audiensi veritatis Spiritui (Io 16, 13)

non opponitur odium. Nam summa luce perspicitur, summa veracitate dicitur, summa sanctitate perficitur "quoniam Deus caritas est" (1 Io 4, 8.16).

Neve tamen confundas evangelii ~~¶~~ verbum cum Verbo vel aeterno vel incarnato. Verbum enim evangelii est sive mandatum dilectionis (Io 13, 34; 15, 12) sive illud et divinum "quoniam Deus caritas est": utrumque enim dicitur verbis humanis. Sed aliud est quod significat, aliud quod significatur. Mandatum dilectionis significat quod esse debet; sed id quod esse debet est "ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint... ut sint consummati in unum" (Io 17, 21.23). Pariter nisi nomina et verba non sunt quae scribuntur: "quoniam Deus caritas est." Quod autem his verbis significatur, nisi analogice cognoscere non possumus, cum sit ipsum esse ipsumque intelligere, ipsa veritas ipsumque affirmare, ipsa bonitas ipsumque diligere, ubi non aliud sed idem est et esse et verum et bonum et intelligere et affirmare et diligere, et tamen propter intelligere veraciter affirmatur sicut propter affirmare ^{iam} sancte diligitur; quod alibi fusius dictum est.

6. Nexus analogia.

¶ Docuit c. Vaticanum I rationem fide illustratam assequi posse aliquam mysteriorum intelligentiam tum ex eorum, quae naturaliter cognoscuntur, analogia tum ex ⁿ Nexus mysteriorum inter se et cum fine hominis ultimo (DB 1796). Quos duos intelligentiae fontes quodammodo per modum unius sumimus, si quidem non ex rebus absolutis sed ex nexibus naturaliter notis analogiam petimus, eosque non in uno mysterio sed in multis et connexis invenimus.

Nexus enim aliis est conceptualis, aliis autem realis: conceptualis inter conceptus ~~vix~~get, uti inter "animal" et "mortale"; realis autem in ipsis rebus est et, sicut res, ita etiam rerum nexus alio aliis

invenitur perfectior. Sed aliae res, etsi intelligi possint, ipsae tamen non intelligunt; aliae autem ideo intelligi possunt quia intelligunt. Unde in illis nexus est mere causalis; in his autem nexus in primis est intellectualis, rationalis, moralis; et ita in hominibus, quatenus iam pridem septennes ad usum rationis pervenerunt, quia intelligunt, clare et distincte loqui possunt, quia evidentiam sufficere perspiciunt, verum iudicant, quia de valoribus verum iudicant, ad bonum ~~eligentiam~~ eligendum obligantur. Ubi primum quia nexus manifestat intellectualem; alterum quia nexus manifestat rationalem; tertium quia nexus manifestat moralem; et ipsum quia est nexus non conceptualis sed realis, si quidem longe prius ~~existeat~~ exsistit et longe prius operatur efficaciter quam quis in se reflectens tale quia invenit, intelligit, concipit.

Iam vero ¹ in Ioanne evangelista, quantum ex scriptis coniicere possumus, non fuit illa reflectio, inventio, intelligentia, conceptio quae clare et distincte hoc quia modo thematico exponit. Attamen quod modo thematico non cognoscitur, idem naturaliter, exercite, inter vivendum non solum optime cognosci sed etiam modo sat perspicuo exprimi potest. Quicumque enim ~~maxima~~ "aetatem habet" (Io 9, 21), propriam autonomiam intellectualem, rationalem, moralem exercet; et ideo hanc autonomiam exercet, quia in ipso non solum efficaciter sed etiam conscientie operatur ille nexus realis quem hic quia, alibi cum S. Thoma emanationem intelligibilem nominavimus. Porro, sicut caecus natus, etiam ipse Ioannes aetatem habuit; sicut ille, etiam hic conscientiam illam vim virtutemque novit quae in quia consistit.

Neque exercite tantummodo novit illud quia Ioannes, sed totus fere fuit in illo exponendo, non quidem ~~maxima~~ analyticus ut nexus a terminis connexis abstraheret, sed concrete per ipsos terminos realiter connexos. Consociavit lucem, veritatem, dilectionem, ~~bonorum operarum~~ fructum (bona opera), vitam, resurrectionem; consociavit tenebras, mendacium, odium, homicidium, mortem, iudicium; mutuo

opposuit et lucem tenebris, et veritatem mendacio, et dilectionem odio, et bona opera homicidio, et vitam morti, et resurrectionem iudicio. Quo schemate quasi definiuntur alia et divina lucis regio, alia tenebrarum et mundana; quasi assignantur termini unde ad nos venit Filius hominis et quo rediens nos conducere cupit; quasi explicatur ipse operandi modus quo vincitur mundus, ubi Veritas mendaciis condemnatur, odio crucifigitur Verbum dilectionis, homicidio occiditur Verbum vitae. ~~Neque tamen quisquam, qui cogitat corde, opinari possumt potest Ioannem ea quasi repetere quae ab aliis dicta audivit cum iis consentire potest qui Ioannem corde, cum iis consentire potest~~ Sed illud, quasi, attende: non enim definit ~~terras~~ regiones Ioannes, non assignat terminos, non explicat ~~modum~~ operandi modum, non antithesibus delectatur; rem tenet et verba sequuntur; rem novam inauditamque tenet totisque viribus incumbit dilectus discipulus ut rem exprimat. Neque quemquam arbitror mentem Ioannis assequi, nisi ipse cogitet corde, nisi expertus suum lucis odium cognoscat, nisi in se ipso detegere possit illa mendacia quibus ipse se seducat. ~~Quos enim diximus nexus reales, secundum clarificationem, secundum veritatem, secundum honestatem, optime~~ Ioannes qui tam acute tamque exacte eos exhibuit quibus parum placeant vel clariora vel certiora vel graviora officia. Non enim solus intelligit qui analysin fecerit, neque solus docet qui thematicè exponat.

Iam vero qui nexus est realis secundum veritatem, et pariter qui ~~nexus~~ nexus est realis secundum honestatem, et naturaliter cognoscitur et analogiam praebet ad mysteriorum intelligentiam. Naturaliter cognoscitur ab eo qui cogitat corde. Analogiam praebet non ad unum illustrandum mysterium sed ad multa exponenda. Qui enim est nexus realis secundum veritatem, h. e., secundum quod ex perspecta evidentia procedit iudicium verum, analogiam praebet

ad modum quo evangelium praedicaverunt apostoli (2 Cor 2, 17; 4, 2; 1 Th 2, 13), ad modum quo Christus Dominus secundum scientiam suam verbum Patris nobis docuit, ad modum quo Pater verax in Filio novissime nobis est locutus, ad modum quo Pater aeternus aeternum dicit Verbum vitae trinitariae. Qui autem nexus est realis secundum honestatem, analogiam praebet ad modum quo fideles verbum evangelii audiunt, ad modum audiendi quem ex docente Spiritu veritatis addiscunt, ad modum quo ipse veritatis Spiritus fideles deducit in omnem veritatem, ad modum quo idem veritatis Spiritus aeternaliter audit et accipit veritatem quam Pater Verbo dicit.

Quod si similis nexus in ~~num~~ multis invenitur, ipsa multa non sola similitudine comparantur sed etiam connexione colligantur, ut, quae ex analogia derivetur mysteriorum intelligentia, ipso mysteriorum nexu augatur. Qui enim verax dicit Verbum aeternum, idem verax dicit idem Verbum caro ~~ea~~ factum, et idem verax mediante Verbo misso missisque apostolis dicit verbum evangelicum. Qui ab aeterno dicit Verbum ~~xi~~ dilectionis trinitariae, iterum prior diligens suam dilectionem Verbo diligente exprimit, ut etiam verbo evangelio dicat se priorem, ^{tus} dilexisse nobisque ad invicem ^{iat} praecepere dilectionem. Sed qui ab aeterno audit et facit veritatem dilectionis trinitariae, idem ex tempore facit ut Verbum ~~audiendo et accipiendo~~ Patrem ^{is} audiamus et accipiamus, ut Patrem et Verbum diligentibus ipsi ~~se~~ Verbum et invicem diligamus, ut verba evangelica meditantes in omnem deducamur veritatem, donec eam contempleremur claritatem quam a Patre dilectus accepit Filius ante mundi constitutionem (Io 17, 24; 1 Io ~~xi~~ 3, 2).

Mysteriorum ergo est nexus triplex in unum coniungens divinas processiones, missiones divinas, et Ecclesiae munus.

Nam in Ecclesia secundum veritatem ~~est~~ praedicatur et secundum sanctitatem auditur verbum Dei in ordine ad vitam aeternam.

Porro, Deus Pater per Verbum incarnatum secundum veritatem nobis locutus est; et a Verbo incarnato missa est Ecclesia (Io 20, 21; Ic 10, 16) ut secundum veritatem (2 Cor 2, 17; 4, 2) nobis annuntiet verbum Dei; et a Patre Filioque missus est Spiritus sanctus in quo secundum sanctitatem audiamus verbum Dei.

Et ipsum denique aeternum Verbum a Patre secundum veritatem dicitur et a Spiritu veritatis secundum sanctitatem auditur.

Quibus perspectis, acute distinguas inter ea quae in NT ponuntur et ea quae addit ~~metaphysicis~~ vel ipsius nexus perspicientia vel analogia psychologica.

Explicit ergo in NT ponuntur verbum Dei praedicatum et auditum in ordine ad vitam aeternam; ponuntur pariter praedicantis veritas et vere audientis sanctitas; ponuntur missio Filii in quo nobis Pater loquitur et missio Spiritus in quo audimus; ponuntur in principiis Verbum quod Deus est et Patris Filius, et Spiritus Patris, Filii, Christi, veritatis qui a se non loquitur sed audit et a Patre Filioque accipit ut omnem docxeat veritatem.

Ut nexus mysteriorum perspicatur, ratiocinandum est (1) Spiritum veritatis vere dependere et ideo ab aeterno, (2) Spiritum ab aeterno vere audire et accipere, et quidem quam doceat veritatem, (3) Spiritus processionem esse hanc dependentiam, audientiam, acceptationem, ut veritatem non solum audiat et accipiat sed etiam ipse ex veritate sit, et (4) Spiritum ideo ex veritate esse quia ab aeterno adiuit audit veracem Patrem verum Verbum secundum ~~metaphysicam~~ dicentem.

Quibus accedit analogia psychologica. Quamvis enim totum NT de veritate et de sanctitate loquatur, non tamen intrinsecam explicat

rationem sive veritatis sive sanctitatis; neque docet analogice a nobis esse intelligenda quae de divinis personis dicuntur. Quod ergo addit analogia psychologica in duobus consistit ut (1) e psychologia humana investiget intrinsecam rationem veritatis et sanctitatis, et (2) ex his analogice procedat ad generationem Filii Spiritusque sancti processionem imperfecte et obscure intelligendam atque concipiendam. Et cum iudicia nostra sint vera quatenus ex perspecta evidentia sufficienti procedant, secundum hoc concipimus generationem Filii; cum vero nostra volitio sit sancta quatenus ex vero valoris iudicio procedat, secundum hoc concipimus processionem Spiritus sancti.

X Quod intelligentiae paululo profundioris principium pedententim in Ecclesia perspectum est.